



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LI. Argumentum. Proponit præsens Decisio, quasi Monstra, diversarum Mulierum monstrosa exempla: at præcipuè plurium, quæ Virtute, ac Sapientia coruscarunt. Et aliarum, quæ vitiosæ, vafræque ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

vacca genitum. *Ælian lib. 6. Hist. Anim. cap. 41.* Hircum ob rivalitatem in Urbe Sybari adolescentem Pastorem occidisse, quod capram adamaret, & ei coiret: nam ex ea natus est Sylvanus infans humana facie, sed caprina habens erura. Et Gregor. Tholosan. in *Syntagm. juris lib. 7. cap. 3. num. 9.* Quod viri Indorum scelestissimi quidnam cum feris coeunt, & inde mixtos, & semiseros esse partus, & hanc sententiam amplectitur Licetus d. lib. 2. cap. 69. 70. 71. & 72. absque hesitatione.

Ceterum in hoc dubio mihi verius videtur, ex bestialitate commissa inter virum, & belluam, (quod omnibus flagitiis nefandis est majus) non posse gigni hominem anima rationali præditum, tum quia ex discrepantia seminum, & diversitate specierum generatio fieri impeditur; tum quia belluæ non gestant foetum debito tempore pro humani partus conditione, ut docet Aristot. lib. 4. de gener. anim. cap. 4. Credendum est quidem, monstra generari, aliquam apparentiam humanæ speciei habentia; sed non veros homines, quæ quidem monstra proveniunt non ex semine hominis bestialiter infuso in vulva belluina; sed ex semine bruti masculi, cum quo eadem bellua, vel parum ante, vel parum post coitum hominis, se copulaverit; sic causa conceptionis in bellua erit semen belluinum; causa verò monstruositatis commixtio seminis humani; ut considerat Scottus d. lib. 3. cap. 5. §. 3. qui ibid. in addit. respondet cum *Deusing.* ad adducta exempla, dicens, vel esse commentitia, fabulosa, & non vera; vel partus à belluis effusus cum humana specie, non fuisse homines anima rationali informatos; sed brutos præferentes speciem aliquam, seu venustatem humanam, cum aliqua articulatione vocis more Psittacorum; vel religioſitate more Elephantum; quapropter forent hæc monstra judicanda omnino incapacia Sacramenti Baptismi. Quidquid sit de prædictis partibus monstruosis ex parentibus diversarum specierum, nos interpellat.

DUBIUM XVIII.

An defectus naturales Patris, seu Matris, & eorum monstruositates transfundantur in filios?

Affirmativè respondet Licetus de *Monstr. lib. 2. cap. 85.* & Scottus in *Physic. Cur. d. lib. 5. cap. 30. §. 3. Verf.* Quod si uterque his verbis: Quod si uterque, aut alteruter saltem genitorum simili aliqua monstruositate est effectus, non dubium est, quin foetui quoquo eandem aliquando imprimant. Hinc cynocephali à cynocephalis; Sciopedes à Sciopedibus; caudati à caudatis in aliquibus locis nascebantur; & etiam nunc in Africa, ubi major est copia monstruorum animalium, frequentius similia generantur monstra à genitoribus videlicet monstruosis. His videntur duo addenda. Unum quod notat Petr. Gregor. Tholosan. *Syntagm. jur. lib. 40. cap. 2. num. 14.* Videlicet Filios secundum Aristotelem à parentibus gigni, veluti ab ipsis inseparatos, adeo ut multi putarent, & mores patris, & corpoream formam infundi in corpus filii. Arist. 8. *Ethic.* & S. Thom. 1. p. q. fin. artic. 1. Imo Tertullianus lib. de anima opinatus fuit, ex anima Patris deradi, & ex omnibus membris semen, ipsumque in generandum filium transfundi, quæ opinio rectè damnata fuit.

Alterum, quod experientia quotidiana demonstrat in multis familiis esse infirmitates, & corporis vitia hæreditaria: sed hoc non est universaliter verum; imò satis rarum, tum circa corpora: quia multi Patres proceris staturæ generant filios pusil-

los; & vice versa filii proceres nascuntur ex pusillis genitoribus: tum circa mores animi; plurimi enim genitores rudes dant in lucem filios, qui eminent sapientia; & è contra à Patribus eruditis, & eloquentissimis prodeunt nati destituti omni sapientia, & habilitate, ut de filiis Scipionis, Ciceronis, Herodis Attici, & aliorum testantur historici: nec mirum, ait Arist. in *Problematis*, nam *Mens viri præstantis, magis à natura sensus, carnisque remota, ac quasi suspensa, inopem ingenii conceptis genituram præstat.* Tandè pro complemento Monstrorum videndum restat,

DUBIUM XIX.

An ex feris diverse species simul coeuntibus nascantur Monstra?

Affirmativè est respondendum; imò hanc esse præcipuam causam monstrorum, quæ Africa parit; scilicet ab frequentissimis carnalis congressibus, quos ad invicem habent feræ diversarum specierum, dum conveniunt simul ad aquas, quæ ibi raræ sunt, ut bibant, docet Arist. lib. 2. de gener. animal. cap. 5. & refert Licetus d. lib. 2. cap. 68. Illud autem est advertendum, quod si feræ speciei diversæ simul coeant, aliquando ex earum coitu nascitur animal tertiæ speciei abque monstruositate; videlicet quando genitores non admodum discrepant inter se quo ad naturam, & semina utriusque congrua proportionem coadunantur; ut fit, dum ex Equo, & Asina vel ex Asino, & Equa nascitur mulus, vel ex cane, & lupo generatur lynx. Quod si valde sint discrepantes bestię quò ad naturam, & semina belluina valde sint inter se incongrua; tunc nascuntur Monstra; ut ex feris africanis Pantheris, Leopardis, Tigribus, & aliis; circa quæ non est nobis opus immorari, cum ea sint expertia baptismi, & de eis videndus Scottus in sua *Physica Curiosa* toto libro VIII. in quo de singulis animalibus terrestribus luculentissimè agit. Et eruditè Licetus d. lib. 2. cap. 68.

DECISIO LI.

ARGUMENTUM.

Proponit præfens Decisio, quasi monstra, diversarum Mulierum monstruosa exempla: at præcipuè plurium, quæ virtute, ac Sapientia coruscarunt. Et aliarum, quæ vitioſæ, vafraque fuerunt. Tandem dat decem Regulas observandas pro baptismis monstrorum.

SUMMARIUM.

- 1 Mulier, quæ contraxit 22. Matrimonia.
- 2 Mulieres Barbatae.
- 3 Mulieres doctriſe, ac sapientia illustres.
- 4 Mulieres vafrae, & vitioſæ. Aliæ audientes Confessiones Sacramentales.
- 5 Regula servanda pro baptizandis Monstris.

Hæc esse deberet finis hujus tractatus de Monstris; verum quia videtur esse magnum Monstrum reperire aliquam mulierem præditam insigni virtute, vel qualitate; idcirco examinandum remanet.

DUBIUM XX.

De quibusdam mulieribus admirandis?

Pro conclusione eorum, quæ de Monstris hucusque retulimus, non pigeat notare aliqua admiranda circa mulieres, quas aliqui monstra naturæ (injuriosè tamen) appellarunt. Scottus in *Physic. Cur.* lib. 5.

lib. 5. cap. 2. Quædam fuit mulier experta duo, & viginti Matrimonia. Cæd. Rhodigin lib. 14. cap. 8. Variis temporibus viſæ ſunt Mulieres Barbata. Licetus d. lib. 2. cap. 55. Scottus in *Phyſic. Cur. lib. 3. cap. 32. §. 2.* ubi narrat miraculum S. Liberatæ, alias *Uvilgeſortis* filia Regis Portugaliz, cujus eximia pulchritudine accenſus Pater, eam in uxorem ſibi copulare volebat, & deficiente quocunque humano auxilio, ad reprimendum carnalem, & mox inceſtuoſum futurum Patrem, & Maritum, recurrit ipſa ad Deum orans, ut à ſe pulchritudinem auferret, quod obtinuit. Barba enim hiſpida, & proluxa mentum illius, genæque contexit undique. *Martyrol. Rom. 20. Julii.* Alia Virgo pulcherrima Abulenſis nomine Paula, ut à violente Amafio eam inſequentem liberaretur, ingreſſa Oratorium S. Laurentii petiit Divinam opem. En ſtatim oſitur in ejus maxillis, ac mento hiſpida Barba, ſicque ejus mutatur aſpectus, ut à laſcivo ibi intrante non cognosceretur; & inde intacta diſcederet, & Dei ſervitio incolumis ſe manciparet. Ita Hier. à Baſilicæ petri in *Ephemerid. Sacris. die 20. Februarii pag. 420.* Alia mulieres evaſerunt in litteris erudiſſimæ. *Amphiclaa* ſub Plotino Magiſtro. *Aſſypotea* diſcipula Platonis. *Cheubolina* filia unius de ſeptem Græciæ ſapientibus. *Cornelia* Africani uxor, & Mater Græchorum. *Damones* Pythagoræ filia. *Zenobia* Regina Palmirenotum. S. *Catharina Virgo, & Martyr*, & alia plurimæ, quas coacervat Scottus d. §. 3. Item *Laura Peronenſis*, quæ verſus Sapphicos compoſuit, Epistoſas, & Orationes, græco, atque latino Idiome ſcripſit. *Cassandra Fidelis* doctiſſima, quæ publicam in hac Urbe Patavina diſputatione edidit; & pulchrè verſus Lyricos compoſuit. Accedit *Oliva Sabuco* Hiſpana celebris in Medicina, de qua Leonardus à Capua *Diſc.* 31. pag. 31. Alias refert Scottus ubi ſuprà, quibus omnibus præeminet *Helena Cornelia* Nobilis Veneta hiſce diebus, omnibus ſcientiis, & linguis præfulgens, Doctorali Laureâ in noſtro Archigymnaſio Philoſophorum Patavino inſignita, & Angelicis moribus ornata. Subſequentur mulieres bellica fortitudine illuſtres tam antiquis, quàm modernis temporibus; ſed illis relictis laus noſtra tendat in illas, quæ hic Patavii præcipuè de familiis nobilibus Deum timent, Sacramenta Eccleſiæ frequentant, à mundanis ornatibus aſtinent, & Doctrinam Chriſtianam tenero affectu filiolas pauperes edocent; quia de his rectè dictum eſt: *Mulier timens Deum ipſa laudabitur. Prov. 31. Et Fundamenta æterna ſuper petram ſolidam; & mandata Dei in Corde mulieris Sanctæ. Eccl. 26.* Quia aliarum mulierum ſapientia, ac cœleſti doctrina coruſcantium noſitiam habere cupit, legat ſcripturam R. P. M. Hier. Gratiani Carmelitæ Diſcalceati poſitam in fine operum S. Tereliæ, poſt *Sententiarium ejusdem Sanctæ. pag. mihi 308. & 309.* ubi plurium doctiſſimarum Mulierum relationem facit.

Porro propriiſſimè inter Monſtra referendæ veniunt Mulieres illæ vaſæ, & vitioſæ, de quibus exempla adducit Barboſa in *Votis Conſultivis tom. 1. lib. 2. Voto XLX. num. 49. & 50.* ibi à ſtudioſis legenda. Prout etiam Mulieres illæ, quæ in Regione Mengrelia (quæ eſt antiqua Colchis) anno 1614. audiebant Sacramentalium Confeſſiones, & alia Sacramenta Eccleſiæ miniſtrabant, ut noviffimè notat Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Epiſcopus Baptagiſtus in ſuis aureis Annalibus *Sacerdotis, & Imperii d. Anno 1614. num. 28. pag. 243.*

Revertamur modò ad reſolutionem noſtri caſus
Doct. Clericali Tom. 1. Lib. 1.

conſcientiæ; in quo quaeritur, *Quid agendum à Parrocho, dum vocatur ad baptizandum Monſtrum?* Nam pro reſolutione dantur Sequentes Regulae.

Prima. Quando certò conſtat, monſtrum ſub humana forma, quantumvis monſtroſa, eſſe præditum anima rationali, baptizari poteſt, ac debet, etiamſi conceptum fuiſſet ex muliere ſuccuba, & dæmone incubo, eſt enim capax gratiæ baptiſmalis, & peccato originali ſædatur.

Secunda. Si dubitatur, an præditum ſit Monſtrum anima rationali, baptizari poteſt ſub conditione. *Si es homo, ego te baptizo, &c.*

Tertia. Quando Monſtrum eſt bicorpor, & ſunt duo capita, vel duo peſtora, duplici baptiſmo eſt opus, ſi æqualia ſint; quòd ſi unum caput eſſet inferius, ſuper eo ſub conditione fiat baptiſmus.

Quarta. Tutiùs eſt in prædicto caſu facere duo baptiſmata ſeparata, quàm unico baptiſmate Monſtrum bicorpor ablueri.

Quinta. Androgyni, ſeu Hermaphrodita abſque dubio baptizandi ſunt.

Sexta. Pariter ſunt baptiſmo digni, naſcentes cum monſtroſitate in aliqua parte corporis, nempe caudati, auriti, aſtoni, brachiſtoni, elingues, & monoculi.

Septima. De Acephalis major eſt difficultas: ideò conſulendi Medici, & obſervandi motus, & ſigna ad dignoſcendum, an inſit Anima rationalis.

Oſtava. Monſtra in corpore humano habentia caput belluinū ſunt veri homines, & ideò baptizanda; ut diximus de *Cynocephalis dub. 5.* Et ſi dubium ſit de anima rationali, baptiſmus detur ſub conditione.

Nona. Centauri, Hippocentauri, Onocentauri, Satyri, Tritones, Nereides, Sirenes, & ſimilia antropomorpha monſtra non veniunt baptizanda; niſi facta adulta talia ſigna darent intellectus, & rationis, ut animam rationalem poſſidere crederentur, quo caſu ſub conditione poſſent baptizari.

Decima. Partus effuſi à beſtia copulata cum viro; vel à muliere copulata cum beſtia, juxta ſententiam Scotti, non ſunt baptizandi, quia in utroque caſu ob diverſitatem ſeminis homo generari non poteſt. Sed quia in *dub. 16.* diximus eſſe valde notandum, quòd mulier compreſſa à beſtia poteſt generare monſtrum ex præcedenti ſemine humano forſan recepto, vel poſt beſtialitatem commiſſam ſtatim recipiendo ex coitu cum viro; ideò etiam in hoc opus eſt multa prudentia in Parochis, ut obſervent, an ſint indicia ſufficientia animæ rationalis in ipſo Monſtro; tunc enim poterunt illud baptizare ſub conditione ex Poſſevin. de *Offic. Curati cap. 6. num. ult.* Gobatto de *Baptiſm. tract. 2. à num. 274. uſque 285.* Laymanno *lib. 5. tract. 2. cap. 6. n. 13.* Maſtrio in *Theolog. Mor. diſp. 17. num. 42.* & ex Scotti in *d. ſua Phyſica lib. 5. in Appendic. cap. 4.* qui, ſi caſus occurrerent, eſſet conſulendus, præter alios Moralistas, & Rituale Romanum in *Rubric. de Baptiſmo*; quibus addo Eminentiff. Cardin. de Lauræa de *Baptiſmo diſp. 15. num. 42.*

DECISIO LII.

ARGUMENTUM.

Diſcutitur curioſus caſus; An Mulier Hæbreâ gravida fugiens è ſtabulo Judæorum ob deſiderium fidei Chriſtianæ, & interempta à Judæo eam inſequentem, ſalva ſit unà cum prole, & tradenda Eccleſiaſticæ Sepulturæ? *Hiſtoriæ, & exempla de odio Judæorum in Chriſtianos.*

L 2

S U M.